

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS *manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Iovis decimâ ſexta Novembris.*

M. BERTINO SIMONE DIEUXIVOYE, Doctore Medico, Præſide.

An calor & frigus ſunt qualitates principes & maxime actuoſæ?

I

MAGNUM eſt naturæ nomen, potentiæ ſcilicet ac ſapientiæ nunquam aberrantis, quæ rerum fato major, omnem admirationem, omnem laudem ſummè ſuperat. Naturam ignorat, qui ejus providentiam non agnoſcit, & ſuſpicit. Nihil illa temerè, & fortuitò, ſed cuncta ſemper propter certum finem agit. Cœcus eſt, qui illam cœco materiæ impetu rapi, & oculos videndi causâ non feciſſe, affirmare audet. Naturæ opera ſatis non perpendit, vel qui eam in profundo non latentem, vel qui omnino inſcrutabilem & incomprehenſibilem putat. Certò de eâ omne ſciri poteſt, quod ſenſibus rectè diſpoſitis ſubjectum eſt & apertum: vel quod ex hypotheſibus, ab iiſdem proximè & evidenter deductis neceſſariò colligitur. Quòd quidem judi-

cium requirit à præjudicatis opinionibus liberum. Ex iſtis hypotheſibus, conſtantique, diuturnâ, & prudenti obſervatione rerum, quæ prodeſſe ſolent & obeſſe, medicinæ hippocraticæ axiomata & præcepta orta ſunt, ſemper [a] vera, firma, & naturæ conjuncta, ac conſentanea, nec in aliis ſcientis (ſi à ſenſibus abſtractas exceperis) plura & certiora reperiuntur. Abditas cùm ipſius rerum naturæ, tum morborum intus naſcentium cauſas quiſquis deſpicit, arte mederi non poteſt: eas ſemper, & ubique hippocrates inveſtigavit, earumque cognitionem ad curandos morbos neceſſariam eſſe docuit: [b] Nec unquam medicinam à ſapientiæ, & naturalis Philoſophiæ ſtudio ſeparavit. Primarum qualitatum notitia etiam ſenſibus patet, quarum vim maximè actuoſam qui negat, ſimulque ſenſus fideles veri nuntios prædicat, ſibimet contradicit. Illæ efficaciſſimo motu ſunt præditæ, vel potius ipſarum natura in ſolo motu poſita eſt, à quo omnium operum naturalium effectio primò prodit. Primæ & principes rectè cenſentur: [c] primorum corporum propriæ ſunt & elementis primo inſident; ſed nullas ante ſe agnoſcunt à quibus motum accipiant, ſed hunc cæteris quas ſecundas vocant, impertiuntur. Illarum interventu elementa inter ſeagunt, variè alterantur, miſcentur, ſicque mixta omnia conſtituunt. Humiditas & ſiccitas, ut quædam aliæ etiam materiæ affectiones, inter primas qualitates jure recenſentur. Sed actuoſam vim non habent, & ignavam materiæ ſortem prorſus ſequuntur.

[a] Inter Hipp. aphoriſmos multi ſunt æternæ veritatis.

[b] Ex Hipp. l. de decenti ornatu. Medicus philoſophus vir eſt.

[c] Ex Ariſtotele.

Ex Ariſtotele.

II.

MOTIO ſecundum locum, omnium qualitatum prima ac [d] princeps, omnes mutationes, atque actiones naturales molitur. Non modò generationis & interitus rotam perpetuò verſat. Sed etiam omnem alterationem & accretionem efficit. Cuncta iſta opera præſtat σύγκρισις & διάκρισις. Quæ autem congregantur & diſgregantur, ea ſecundum locum moveri neceſſe eſt. Iſtorum omnium motuum principium ab atomis Epicuri profluere cave putes; hic ſua dogmata ratione nullâ demonſtravit. Meras hypotheſes ad arbitrium finxit, falſas & ſibi maximè repugnantes. Oculos

[d] Ex Ariſtotele. 1. Phyſ. 8. cap. 1). & cap. penultimo ejuſdem l. Ex Ariſtotele ibid. c. 10.

ſæpe perſtringit mendacium, ſed tenue eſt & pellucet, ſi propius inſpexeris. Caſum naturæ Dominum & rectorem, atque etiam ſapientiſſimæ rationis & conſtantiſſimi ordinis, qui in mundo clarè & pulchrè elucet, cauſam effectricem eſſe, æquus rerum arbiter non credet, qui mentis ſuæ naturam probè noverit. Quælibet atomus, primæ rerum materiæ minima & imperfectiſſima portio, nuda omnino, inanis & ſola patiendi aptitúdine ex ſe pollens, primum motus principium à ſe habere non poteſt, nec ſibi dare quod non habet. Motus à nullo principio manans, per ſe æternus foret, ac ſimul vim & ſubſtantiam per ſe æternam & infinitam, à quâ produceretur, in quâvis atomo neceſſariò requireret. Tòt igitur Deos & prima motus principia fecit Epicurus, quòt atomos, non minus impiè quàm abſurdè. Motus in ſingulis atomis varius, modò innatâ gravitate in infinito inani rectâ tendens, modò declinans, modò in iis magis, in aliis minus celer, majorem & minorem movendi potentiam includeret. Quin etiam dum aliæ alias apprehendunt, & cohæreſcunt inter ſeſe, in generatis ſcilicet ac mixtis corporibus, ipſarum motus coercetur, retunditur, ac minuitur: augetur verò ac primæ & naturali libertati redditur, cum illa corrumpuntur ac diſſoluuntur. Præterea idem motus dividitur in varias partes, quarum aliæ aliis indeſinenter ſuccedunt, & variis temporis partibus reſpondent, heri præteritæ, cras futuræ. Hinc naturâ ſuâ fluxus ac mutabilis verè agnoſcitur. At [2] circunſcribi & exiguis limitibus coerceri non poteſt vis æterna atque infinita; neque etiam unum & idem naturâ ſuâ mobile & immobile, mutabile & æternum, imperfectiſſimum & perfectiſſimum ſimul eſſe poteſt. Æternitas ſtat tota ſimul, ſimplex, ſemper eadem, & ubique præſens, partibus carens, individua fixa ac mutari neſcia. Duarum atomorum, ut duorum mundi dominorum infinitam, ſummam, æqualemque potentiam natura non patitur. Varia ac certa illarum figura nullo ſenſu deprehendi, nullâ ratione demonſtrari poteſt. Deſinant Epicurei abuti atomorum Regno & licentia. Chymicos deludit & ultra artis ſuæ pomæria longiùs abripit ſimilis error, cum ſuos ſales univerſorum mundi corporum prima ac ſola eſſe actuoſa principia comminiſcuntur.

2 Quod finitum eſt impoſſibile eſt habere infinitam potentiam & infinito tempore moveri. Ex Ariſtotele l. ultimo phyſ. ſub finem.

III.

IGNIS, elementorum omnium efficacissimi, prima & maxime actuosa affectio calor est, cujus effectus tam manifestò apparent, ut neminem tactu præditum latere possint. Hujus natura non ita conspicua, est hanc [a] in perpetuo motu positam esse sensus docent, sed qualis sit ille motus non indicant. Intuere liquorem supposito igne ferventem & ebullientem, quævis ejus particulæ statim ac calescere, simul quoque moveri, atque agitari incipiunt; ut ex imo lebete ad superas ejus oras semper trudantur & tandem extra longiùs exiliant. Calor [b] naturâ suâ, hoc est sibi proprio & peculiari motu homogena congregat & disgregat heterogenea. Qui ignem & febrem exuperantiâ caloris urere, septicorum more negat, pœnâ sensus dignus esto. Ut ille primum & ultimum naturæ instrumentum est, [c] quod etiam cunctas artes ad invenit & servat, sic eadem spirituum igneorum & caloris ministerio præcipua sua opera exequitur. Attenuat, dividit, secat, dilatat, relaxat, resoluit, liquat, miscet, densat, cogit, & coagulat, [d] omnia per omnia movet, generat, coquit, putrefacit urit, & corrumpit. Odorum materiam, ex sulphureis partibus constantem, apparat, excitat & in actum promovet, ut [e] fumo similis exhalatio ad nares feratur & odoratum moveat. Quin etiam, qui inest salibus sapor, amarus, aut acer effici, aut gustum ferire nequit, nisi à calore acuatur & moveatur. Hic bili amarorem præbet, imò ipsammet bilem progenerat in visceribus eò copiosiorem, quò plus incaluere. Fermentationis motum vehementior calor sequitur, illam tamen etiam sæpissime & manifestissimè præcedit. In animantibus & plantis nihil vitalem calorem antecedit. Hinc cor & cæteræ partes priùs esse & vivere debent quàm sanguis in iis [f] fermentetur, & spiritum ac motum concipiat. Calorem quæris primarium qui actu insit & salium motum non consequatur, sed semper præcedat? Illum in solis radio & in igne certò reperies. Amarum solem, ut etiam ignem salsum omnes fere homines ridebunt, nullus tales unquam ostendet & probabit. Valentissimæ ignis qualitati aliam non imbellem & inertem, sed efficacem & primæ quoque notæ &

a Calor movendi vim habet. Ex Aristotele l. 2. de Gener. animalium cap. 1.

b Ex Aristotele.

c Ex Plutarcho.

d Ex Hipp. l. 1. de diætâ.

e Ex Aristotele 1. de sensu & sens.

f Ex Aristotele l. de Respi. cap. 20. de cordis motu.

virtutis, natura opposuit, frigus scilicet constringendi, comprimendi & poros occludendi motu præditum, quo quamplurimorum naturæ operum molitio carere non potest.

IV.

FRIGORIS vim homogenea simul & heterogenea per se cogere quivis hyeme experiri potest Quæ sit prima & natalis illius sedes non liquet. Aquam rerum omnium frigidissimam non esse multi ideo sibi persuadent, quod ab alio corpore multò ipsâ frigidiore, aëre scilicet, conglaciare videatur. Quin etiam, dum sævit hyems, ipsemet aër ab aurâ quâdam tenui, siccâ, acri, & pungente, quæ à zonâ frigidâ spirat, extremum frigus contrahit. Hujus motum comprimentem & coarctantem esse convincit, qui manibus imprimitur acerbissimus doloris sensus; necnon qui è carnibus ulceratis velut ex spongiâ sanguis exprimi cernitur. Deponat soleas & vestem exuat apricans, dum penetrabili frigore urit nos boreas, quisquis asserit frigus meram esse caloris privationem, vel solam corporum quietem, vel imbecillam qualitatem, quæ nos levissimè afficiat. Naturæ injurii sunt, qui hyemale frigus brassicis solum utile vulgò affirmant. Nisi hyemis & noctium frigus spiritus insitos cùm ipsiusmet telluris, tum plantarum, tum animalium, alternâ successione coërceret & abunde colligeret, nullum triticum, nullas messes æstas concoqueret. Naturam servat æqua caloris & frigoris vicissitudo, quam solis per obliquum circulum motus affert. [a] Omne calidum frigido moderato nutritur.

[a] Ex Hipp. l. de natura pueri.

V.

HIPPOCRATEM ipsamet natura docuit calidi, frigidi, humidi & sicci [b] systema; Quo etiam sapienter usus est Aristoteles, & naturalis philosophiæ (medicis necessariæ) particularia principia, ut communi hominum sensui & experientiæ magis obvia, ab eodem Hippocrate, velut ab [c] humani generis præceptore deprompsit. Huic systemati firmiter innititur vera, rationalis & legitima medendi methodus, id est dogmatica, viginti sæculorum authoritate & experimentis sta-

[b] Ex Hipp. l. de naturâ hum.

[c] Sic vocat Seneca artum & scientiarum conditores.

bilita, & conſervandæ ac reſtituendæ valetudini prorſus neceſſaria. Ex atomorum & ſalium doctrinâ nihil infertur quod veræ & Hippocraticæ Medicinæ fundamenta firmare queat: nihil quod novum aliquem aphoriſmum condere poſſit. Non magis lucet ſolis meridiani claritas, quàm conſtat Hippocratem in caloris, frigoris, humoris & ſiccitatis exceſſu morborum & remediorum naturam poſuiſſe. Quis dubitat in ipſis anni tempeſtatibus magnas mutationes[a] frigoris & caloris morbos parere. [b] Hinc confertim & repente calefacere vel refrigerare, vel utcumque corpus movere, periculoſum eſt. Sic [c] calidi frequentiori uſu ſanguinis profluvia, animi defectiones, multaſque alias graves noxas inferri conſtat; ad quas tandem mors conſequitur. Quis neſcit [d] frigidum accerſere convulſiones & rigores febriles? prætereaque oſſibus, dentibus, cerebro, & nervis bellum indicere. [e] Calidum verò criſes & ſupurationem utiliter movere, atque ab eo dolores & convulſiones ſedari. Circa caloris & frigoris uſum hinc inde ſcopuli fugiendi. Errat qui ſoli calori & frigori omnia tribuit. Hæ qualitates, non ut nudæ & ſimplices, ſed cum materiâ ſpectari debent; ideoque amaro, ſalſo, acri, acido, auſtero, acerbo, & aliis quamplurimis materiæ denſæ, raræ, tenuis, aut craſſæ, facultatibus conjungendæ ſunt. Hæ quamvis per ſe actuoſæ non ſint, caloris & frigoris vim (cotis & inſtrumenti inſtar) exacuunt & plurimùm augent. At calor principatu gaudet, qualitatum chorum ducit, exacerbationes & incrementa promovet; uno verbo ſemper motionis principium eſt. Sine amaro & ſalſo inefficax habetur. Sed quid agat opifex quantumvis valens ſi materiæ deſit aptitudo? Hæc variè diſpoſita & affecta variam ejuſdem potentiæ actionem facit. Vix calet in tenuiſſimo & ſæpius diſtillato vini ſpiritu accenſus ignis, in ferro candenti urit acriter. Sic robuſtiſſimæ manus eadem vis & æqualis impetus pilam plumbeam vehementer, ſtupeam leniter impellit, & dimovet. Præpoſterè philoſopharetur qui propterea nullam vim motui, totam plumbo, aut alteri materiæ ad validiorem motum habili tribueret. Graviter errant & mendacem aut mobilem & inconſtantem Hippocratem injuſtè faciunt, qui caloris & frigoris poteſtatem in humano corpore minimam eſſe ſic intelligunt, ut nullam calori, totam amaro & ſalſo conce-

a Aph. 1. ſect. 3.
b Aph. 51. ſect. 2.
c Ex aph. 16. ſect. 5.
d Ex aph. 17. & 20. Ejuſdem ſect.
e Ex aph. 22. ſect. 5.

συμπάρεστι δὲ καὶ τὸ θερμὸν, ῥώμης μετέχον ὡς ἂν τὸ ἡγεύμενον καὶ παροξυνόμενον, καὶ αὐξανόμενον ἅμα κείνῳ. Ex Hipp. l. de veter. med.

De veteri Medicina.

dendam asseverent. Nec minus hallucinantur qui bilis præcipuam vim in amarore, nullam in calore collocant.

Ergo calor & frigus sunt qualitates principes & maximè actuosæ.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ioannes Poisson.	*M. Renatus Chauvel.*	*M. Petrus Pourret, unici fratris Regis Medi. ord.*
M. Ioannes Claudius Delarbre.	*M. Petrus Paulus Guyart.*	*M. Antonius de Caën.*
M. Iacobus des Prez.	*M. Franciscus le Rat.*	*M. Carolus de Laval.*

Asserebat URBANUS LEAULTE', Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.